

fessionis urgente, exprimere debent quod possunt, et si aliud non queunt, saltem signo se peccasse ostendere tenentur, ut absolutio ipsis impertiri possit.

c) *Idiomatis ignari*, cum confiteri per interpretem haud teneantur, annuae confessionis urgente praecepto et in mortis periculo, confiteri tenentur eo modo quo possunt, scilicet saltem signis vel nutibus se esse peccatores confessario manifestare adstringuntur.

d) *Amentes, hebetes, fatui, semifatui*, qui neque contritionem elicere, neque aliud ad sacramentum absolute necessarium peragere queunt [ut per se patet] sese confiteri minime tenentur. Nam si ratione compotes non sunt, multo minus liberi voluntatis actus capaces, sine quo nec peccatum, nec poenitentiae sacramentum intelligitur¹.

e) *Absentes*, neque per epistolam, aut intermedium, neque per telephonum aut similia, valide confiteri possunt; ita, enim, praecisus iam ortis disputationibus, S. C. S. O., statuit ac decredit².

325. — Quae hucusque, ex plurimis pauca, pro rei necessitate delibavimus, quantum rectae huius salutaris sacramenti administrationi intersit ut confessarius operam suam sedulo poenitentium variis conditionibus accomodet satis superque ostendit. Hac, enim, ratione, ut monet Apostolus, *omnibus omnia factus*³, jugum quod Christus imposuit suavius ac laevius efficiendo, revera quod necessarium erit vinum et oleum male sauciatorum plagis ac vulneribus, cum pio Samaritano impendit.

§ X. — De sacramentali confessione generali.

SUMMAE RERUM. — 326. Quibus praecipienda, consulenda ac prohibenda sit. — 327. In illa excipienda quae prae oculis habere oporteat.

326. — Haec omnia quae in annua, vel in frequentibus fidelium confessionibus prae oculis habenda sunt, et in eorum generali confessionem locum obtinent, quo in adiuncto sequentia principia prae oculis Pastores habeant:

a) Non omnibus indiscriminatim confessionem generalem permittant, et, eo minus, confessarii iubeant, sed contentis circumstantiis attendant⁴ Nam:

I) Quibusdam, uti necessaria, generalis confessio praecipienda

¹ Noldin. *De Sacramentis*, ibid.

² S. Offic. 1602-1603; Clem. VIII, *Sanctissimus* 20 jul. 1602; S. Thom. *Quo-*

dlib. I, q. 6, a. 1; S. Alph. VI, 505.

³ Cfr. *I Corinth.* XII, 6.

⁴ Cfr. Bucceroni, *Op. cit.* II, 722.

est, his, nimirum, qui aut quae revelanda sunt reticendo [quod in puerili aetate saepius evenire consuevit], aut propter iusti doloris et amplius peccandi deserendi occasionem, proximo famam restituendi, offensas condonandi, propositi defectum, hucusque sacrilege confessi sunt. In his adiunctis omnibus ut generalis instituatur confessio omnino necesse est; quo in negotio tamen poenitentes non esse cogendos ad omnium peccatorum suorum generalem accusationem instituendam, nisi eas invalidas fuisse certo constet, animadvertendum est. Cum, enim, de earum nullitate haud liquet, possessio seu praesumptio pro praeteritarum confessionum validitate stat.

II) Quibusdam utilis haec generalis confessio est, his, nimirum, qui novam vivendi rationem ineundo, vel novum statum suscipiendo et ita porro, vitam universam, vel quamdam eius partem recensendo, meditando ac accusando, maiorem conscientiae pacem, maioraque in Dei servitio adiumenta capessere possunt. His, tamen, haec, generalis vel quasi generalis confessio haud praecipienda, sed, tantum, consulenda, vel permittenda est.

III) Tandem, quibusdam haec generalis confessio nociva est, his, nimirum, qui scrupulis agitantur, praesertim si [ut saepe contingit] iam generaliter confessi sint, qui turpem foedamque cum traxere vitam, postea conversi, suorum peccatorum seriam egere poenitentiam. His, itaque, omnibus, ne eo magis scrupulis exagitentur et ne ex praeteritae vitae recordatione novum exurgat periculum, generalis peccatorum suorum accusatio, communibus in adiunctis, impedienda est.

327. — Praecipuae normae in generali a poenitentibus excipienda confessione prae oculis habendae huc redeunt:

a) Quaeenam ad hanc faciendam confessionem causae extent inquiratur, et iuxta ipsas decernatur.

b) An iam generaliter poenitens confessus sit; si rite fecerit, tunc ex hoc tantum tempore, eum audire praestat.

c) Num poenitens sit dispositus: necne, num propter poenitentium multitudinem alio tempore hoc negotium differe deceat; an ipse ad confessarium redire possit ut, maiore cum tranquillitate, rem conficiat, et si minime, statim audiendus et pro viribus adiuvandus.

d) Adeo benigna ratione cum illo utatur confessarius, ut tum ex eius ore, tum ex verbis ac aspectu nulla taedii signa praebeat.

e) Priusquam ad in praeteritis confessionibus iam accusata peccata confessarium deveniat, quae ab ultima confessione a poenitente patrata sint ab eo exposcat.

f) Deinde, quae in prioribus forsitan confessionibus omisit praecedant, et de confessionum et communionum numero a sacrilegae confessionis tempore patrarum poenitens interrogetur. Insuper de exponendis instruatur, et ad rem, Dei, Ecclesiae ac Sacramentorum ac sui status obligationum successiva recordatione, eius memoria adiuvetur¹. At peccatorum numerus, ut plurimum, moraliter tantum definitus exigi debet.

g) Confessione peracta, num quoad conscientiam aliquid aliud contingat quaerendum est, et si nil superesse videtur, ne in praeteritam vitam curiosius inquirat poenitens admoneatur, et si alterius gravis peccati nunc oblitus de quo nondum rite confessus sit recordetur, ut in proxima confessione suae oblivionis mentione facta, id simpliciter addat suadeatur.

h) Poenitentis contritionis ac propositi magna cura adhibeatur, et satisfactionis opera per aliquot dies vel hebdomadas, pro rei gravitate, peragenda imponantur, ac ut pro tanto divino beneficio numquam Ipsi gratia agere desinat, eum adhortetur.

i) Uno verbo, quae de communi ac consueta fidelium confessione Pastori recolimus, praesertim heic ab eo servanda sunt, quando quidem temporis distantia, rei difficultas ac poenitentis erubescencia confessionis integritati magis obsistere videntur. Animas Pastor amet, et haec omnia, rite, peramanter, solliciterque, nullo negotio, adimplebit: in Deum ardentissimo flagret zelo, et ut haec perficiat, omnia impedimenta de medio auferet!

§ XI. — De Sigillo sacramentali.

SUMMAE RERUM. — 328. Ex theologia morum brevis de re synopsis. — 329. Quaedam ad rem consilia practica recoluntur ac illustrantur, et peculiari modo, de confessionis schedula — 330. Conclusio.

328. — Tractationis tantum, non vero legentis necessitas, ad hoc argumentum [quo de confessionis sacramento tractando finem facimus] suscipiendum nos ducit, in quo, in primis et ante omnia, praecipua theologiae moralis praecepta² recolenda veniunt, quae huc redeunt:

I. Sacramentale sigillum est *gravis ac continua obligatio* [tum ex religione, tum ex iustitia exurgens] *tacendi ea quae ex confessione sacramentali cognita sunt.*

¹ Cfr. quaestionar. in Schneider, Lehmkühl, *Manuale Sacerdot.*, pag. 252.

² Cfr. Noldin *Op. cit.*, n. 430 et seq.

II. Nullus omnino est casus, ne ad vitam vel reipublicam quidem servandam, in quo quae sub sigillo sacramentali cadunt, sive ante, sive post poenitentis mortem, revelari possint.

III. Adeo haec obligatio de omnibus et erga omnes urget, ut neque cum poenite ipso, de his quae in confessione percepta fuere, extra eam loqui liceat.

IV. Ad sacramentale servandum sigillum non confessarius tantum, sed et omnes quibus quomodocumque sacramentalis confessionis notitia pervenerit, tenentur. Quo fit ut etiam laicus qui se confessarium simulat, vel pro tali habetur, et cui poenitens bona fide confitetur, ad sigillum servandum adigatur.

V. Poenas in sacramentale sigillum violantes huc redeunt, ut sacerdos tanti flagitii reus ab officio sacerdotali perpetuo deponatur, et in arctum monasterium, vel in custodiam a iudice ecclesiastico determinandam, ad vitae tempus tradatur.

Caetera, interdum subtiliora nimis, DD. recolunt, quae heic referre ac cribrare nostri non est.

329. — Ad praxim quod attinet, sequentes normas Pastor Bonus prae oculis habeat:

a) Hoc in themate tum in se ipso, tum in discussionibus quae haberi possunt, rigidior sententiam semper sequatur. Enimvero de tanti momenti re, a qua fidelium ad confessionem accessus pendet agitur heic, ut ad modis tutandam omnibus, nil superfluum censi debeat.

b) De confessione ac confessoribus [uti Salesii consilium est] numquam loquatur Pastor, et si, interdum, in rem conversatio incidat, ad aliam divertat, neque in tam periculoso argumento immoretur.

c) In externo paroeciae regimine de notitiis in confessionibus habitis nullo modo nullaque ratione Pastor utatur. Qui, enim, in re epikeias admittant omnino improbandi sunt.

d) In suis ad populum concionibus omnibus ac cathedris, nullo modo nullaque ratione auditis in confessione etsi a longe ac mutatis circumstantiis, innuat, nec exempla ab his sumat. Periculosissima, enim, res est, quae non sigillum tantum, sed et caritatem prudentiamque laedere consuevit.

e) Consilii causa [in difficili tantum expetendo casu] ad theologum cui poenitens omnino ignotus est Pastor recurat; quod si fieri non potest, ut cum alio de re loqui possit a poenite ipso veniam petat, et semper [omnia non necessaria adiuncta omittendo, et quaedam alia, substantia non mutant, per fictionem, admiscendo] ita casum proponat, ut omne revelationis periculum evitet. Si vero hanc veniam poenitens recuset, neque revelationis periculum declinare possit, studio ac oratione, ex propria scientia et conscientia nodum solvat confessarius. Centies, enim, milliesque centies melius est falli, quam violationis sigilli periculo quoquomodo subiacere.

f) A poenitentis Superioribus ac parentibus eum de aliqua re admonendi munus difficulter confessarius suscipiat, quo tantum suspensiones plurimas devitabit. Eorum vero omnium inopinatas ac captiosas quaestiones sedulo Pastor devitet, et in proprium sinceritatis veritatisque amorem non minus invigilet.

g) In genuinae tantum necessitatis vel compertae utilitatis casibus denuntiationes extra confessiones aliis faciendas Pastor suscipiat. Quum vero necessitas cogat, scripto accipiantur, addita semper clausula [eaque, melius, scripta] qua loquendi licentiam, impertiatur poenitens. Si haec tantum ratio adhibeatur, innumera diceria, tum sacramento, tum Pastori, tum universo confessorum coetui perniciosissima, devitantur.

h) Non tantum de rebus in confessionis actu, sed etiam de his omnibus que in confessionali sede audiuntur, strictum servetur secretum. Quapropter quantum hoc servaret praeceptum qui in actu confessionis, quaedam [praesertim difficiliora] a poenitente audiendo, ipsum interrumpat: *De hoc mihi dices post confessionem*, prudentes viri dicant!

i) Tum in actu confessionis, tum in confessionali, de alio poenitenti cum praesenti quoquomodo ne loquatur confessarius.

l) Ne in ipsa confessione altiori utatur voce, vel gestibus alisve signis ex quibus res altioris momenti cum poenitente agi, quam quae communius obvenire solent, adstantes eruere possint, confessarius sedulo caveat.

m) Adstantes ad aliquam distantiam a confessionali arceantur, ne quid facile percipere possint.

o) Confessionis schedula¹ nil aliud exhibeat quam testimonium poenitentis auditionis, non autem de data absolutione, de qua nihil umquam in ea addendum est. In re:

I. — Si schedula, typis impressa, absolutionis testimonium [omnino imprudenter] exhiberet, propter sigillum, uti est, tradi deberet, ac ideo simpliciter danda, vel etiam signanda, quin aliquid deleatur, etsi absolutio revera denegata fuerit. Nam iste actus tradendi vel signandi eiusmodi schedulam mendacium esse minime videtur².

II. Si poenitenti indisposito, qui sacramentalem peregerit confessionem absolutio denegata fuerit:

1. si extra confessionem schedulam petit, danda est; nam si secus, cum poenitentis gravamine, confessionis uteretur notitia;

¹ Cfr. docum. VIII ad vol. calc.

² Cfr. Noldin, *Op. cit.*, n. 432.

2. si in confessione petit, et negatio indirectae violationi sigilli aequivalet [quod habetur, quando alii, ex ipsa schedulae negatione, in negatae absolutionis cognitionem veniunt] danda omnino est;

3. si in ipsa confessione petit, et negatio indirectae lesioni sigilli non aequivalet, tunc salva prudentia, schedula negari potest;

III. si poenitens confessionem sacramentalem non peregerit, sed solum simulat, vel si schedulam petit ut magistro, parochi [e. g. ante matrimonium] eam exhibere possit, haud omnino concors DD. sententia est. Benigniorem, igitur, sequi partem omnino licet.

p) Attamen, confessarium post auditam confessiones adeo se gerere debere ac si nullam audivisset, neutiquam verum est. Pro poenitentium, enim, orare salute, de dubiis sibi propositis consulere libros, scientiam ex confessione haustam pro concionibus dicendis [dummodo regulae superius adlatae adamussim serventur] prudentissime accommodare licitum ei est.

330. — Ex his quae de sacramentali confessione diximus, ne alios sacro abluendo lavacro, maculam ipse contrahat, neve poenitentes absolvendo, eorum peccatorum reus efficiatur, quam merito confessarius timere debeat omnino liquet. Neque, tamen, sacri huius iudicii munus anxie exercendum, neque refugiendum est; sed ad Divinam Gloriam augendam et salutem animarum promovendam cum magno prudentique zelo suscipiendum et cum sancti timoris ac spei fiducialis in Dei bonitate obfirmatione gerendum. — Confessione vero excepta, labores suos Pastor Deo offerat, pro S. Spiritus adstantia gratias agat, propter admissos defectus veniam petat, ac praesertim, pro periclitantium peccatorum salute, ut suis in propositis et in Eius gratia adeo Deus confirmet, ut in vitae novitate ambulantes, Ei serviant et ad aeterna gaudia perveniant, enixe oret.

Artic. IV.

DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

§ I. — De SS.ma Eucharistia uti *sacrificio*.

SUMMAE RERUM. — 331. Animadversiones praeviae — 332. Canonica ac nuperrima ex plana C. *Divino afflatu* liturgica praecepta — 333. Quaedam pastorales industriae recoluntur — 334. De Legatis fideliter adimplendis.

331. — Augustissimo hoc Novae Legis Sacramento, in quo omnes Sui erga nos amoris divitias Salvator Optimus effudit, nihil in religione sanctius, nil sublimius. Quoniam, non gratiarum tantum fontem hic nobis